Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26055
Copyright: Admont, Benediktinerstift

16

a latere tuo mille, et decem milia a dextris tuis. Siquidem nec humana
malicia iam tunc habebit quid faciat, nec demonum milia plus vere-
buntur quam totidem vermium agmina vel muscarum. Haut aliter denique in-
tuebimur eos, quam filii israhel transmisso iam mari rubro, undique sibi egyptios
mortuos. sed et rotas curruum in profundum ut cernebant, ut et nos simili-
ter longe tamen securi et delectabilius cantemus domino quod gloriose honori-
ficatus sit. equum parit et ascensorem deiciens eius in abyssum. AMEN.

BREVIUS quidem vobis aliquando dicimus loquerentur si crebrius id liceret,
quod et vos credimus non numquam advertere potuisse. Ceterum quotiens
ipsa diei preoccupante malicia, pluribus forte diebus molestissimum
sustinuimus aurium consolatione et exhortatione silentium, neminem
vestrum reor oportere mirari si tempus ipsum redimere cupientibus nobis,
sermo rarior interdum prolixior videatur. Hoc sane nobis actum sit
brevi premio, ut hesterni partis hodiernique sermonis illius quidem prolixitas,
huius brevitas excusata apud vos habeatur. Vereor siquidem munus gratiam
fore non nullis vel fuisse illam vel istam fore, aut magis utramque quam alteram.
Scuto inquit circumdabit te v. e. non timebis a t n. a sag. v. in die a n. p.
int. ab inc. et d. m. Cadent a latere tuo m. et x. m. ad t. ad te autem non app.
Diximus hunc precedentibus sermonibus quod dignata est veritas ipsa largiri,
quemadmodum scilicet et fidelem animam interim quidem a temptationibus, post-
modum vero a difficultatibus tueatur. Que tamen utraque brevi quidem in alio psal-
mo idem iste propheta commendans. in te inquit eripiar a temptatione, et in
deo meo transgrediar murum. quod ipso nimirum duce, nec hic gradiens offendi-
culum, nec egrediens hunc obstaculum pateretur. In altero ergo crebra ereptio, in
altero plena iam et secura liberatio designatur. Nam in hoc sane tercio
quod adiungit, verumtamen oculis tuis considerabis, etiam felicitatis non mo-
dicę promissionem arbitror contineri. Cadent inquit a latere tuo m.
et x. m. ad t. ad te autem non app. verumtamen o. t. considerabis. Ita oro
domine ita fiat. Cadant illi et non cadam ego. paveant illi et non paveam
ego. confundantur illi, et non confundar ego. Gaudenti siquidem